

Barones
Trusbutt.
Bardney.
Oswaldi
vexillum.

Withama jam Lindum prætergressus defluit haud procul à *Vragby*, membro Baronie *Trusbutt* dictæ, cujus per Barones *Roos* titulus ad *Manours*, qui nunc sunt Comites Rutlandiæ, est delatus. Inde nobilis olim cœnobii *Beapœna* sive *Peartaneu*, vulgo *Bardney*, parietinas vidit, ubi Regem *Oswaldum* tumulatum, vexillumque ex auro & purpura tumulo superimpositum prodit *Beda*. Non satis habuerunt superioris ævi scriptores Christianissimum hunc Heroem *Oswaldum* celebrare, nisi rebus clarissimis ab eo gestis miracula assuerent ridicula, quæ sciens prætermitto. Manum vero ejus hic incorruptam superfuisse multis seculis crediderunt majores, scripsitque Poëta satis antiquus,

*Nulla verme perit, nulla putredine tabet
Dextra vini, nullo constringi frigore, nullo
Dissolvi fervore potest, sed semper eodem
Immutata statu persistit, mortua vivit.*

In Appen-
dice In-
gulphi.

Hoc Monasterium, ut scribit *Petrus Blessensis*, *Danorum vesania quondam concrematum & multis annorum cursibus omnino desertum, inelytus & devotus Comes Lincolnie Gilbertus de Gaunt restauravit, & cui cum multis possessionibus decimas omnium Maneriorum suorum ubicunque per Angliam gratis assignavit. Bano fluviolo deinde Withama augetur, qui è media Lindseia primum per *Hornecastle* defluit, quod olim erat *Adelizæ de Condia* & solo æquatum *Stephano* regnante, postea *Baronia Gerardi de Rodes*, nunc, ut accepi, *Carleolensis Episcopi*. Inde per *Scrivelby* Manerium *Dimockorum*, qui illud tenent hæreditario à *Marmionis* per *I. Ludlow* devolutum, per servitium *magne Serientie* (Jurisconsultorum verbis nunc utor) videlicet, quod quancumque Rex aliquis Angliæ coronari debeat, tunc Dominus hujus Manerii qui pro tempore fuerit, vel aliquis nomine suo si idem impotens fuerit, venit bene armatus pro guerra super uno bono dextrario, in præsentia Domini Regis die Coronationis sue; & proclamari faciet, si aliquis dicere voluerit, quod dictus Dominus Rex non habet jus ad regnum suum & coronam suam, promptus erit & paratus ad defendendum jus Regis, & regni sui & dignitatis corona sue per corpus suum versus ipsum & alios quoscunque. Inferius *Banus ad Tateshall* oppidulum regione palustris satis commode positum, castro de cocto latere, magna ex parte extructum, & Baronibus suis notum, *Withamam* influit. Produunt *Eudonem* & *Pinsonem* Normannos nobiles quasi fraterna necessitudine inter se conjunctos *Guilielmi Primi* munificencia possessiones in hoc tractu accepisse plurimas, quas ita inter se dividerunt, ut *Tateshall* *Eudoni* cederet, quam per *Baroniam* teneret, à cujus posteris per *Dryby* & *Bernakos* ad *Radulphum de Cromwell* devenit, cujus filius eodem nomine qui sub *Henrico VI* magnus Angliæ *Thesaurarius*, sine prole è vita migravit. *Pinsoni* autem obvenit *Eresby*, quæ non longe abest, è cujus prole per *Bekos* hæreditas ad *Willoughbos* transmigravit, ad quos etiam dotalia patrimonialia per ampla accesserunt per uxores non solum ab *Vffordis* *Suffolciæ Comitibus*: sed etiam à *Dominiis de VVelles*, qui una secum attulerunt magna hæredia familiæ de *Engain* antiquæ nobilitatis, & jam inde à *Normannorum* ingressu, magnæ hoc in tractu potentia. Inter hos *VWilloughbos* emicuit regnante *Henrico Quinto* *Robertus Willoughby*, qui bel-*

Horne-
castle.

Dimocke.
Inq. 23.
E. 3. The
Kings
Champion.
Fines
Mich. An-
no 1. H. 6.

Tateshall.

Crom-
well.

Eresby D.
*Willough-
bazi.*

Domini
Welles.
Domini
de Engain.

Britannia.

licæ fortitudinis ergo *Vindocini* in *Gallia* Comes creatus; & ab his ex matre prognatus est *Peregrinus Berty* Baro *Willoughby de Eresby*, vir animi magnitudine, & militari virtute longe clarissimus. Jam mari proximus *Withama* alterum anonyum è *Septentrione* rivulum recipit, cujus ad fontes *Bollinbroke* castrum humiliori situ è saxo friabili à *Guilielmo de Romara* *Lincolniensi* Comite extructum, *Alicie Laceie* ab *Edwardo* Secundo ereptum, quod illo invito sibi maritum acceperat, & *Regis Henrici Quarti* natalibus illustratum, qui inde *Henricus de Bollinbroke* cognominatus. Quo tempore inter prædia illa honoraria quæ *Honores* vocantur, censerit cœpit. Hoc vero recepto *Withama* infra *Boston*, ut diximus, mari se tandem confundit.

Lib. Sran-
low.

*Bollinbro-
ke.*

A *Withamæ* ostio magno flexu protuberat litus in mare *Germanicum* usque ad *Humber* æstuarium, frequentioribus ubique æstuariolis lancinatum: rariores autem habet urbes, quia rari sunt portus, & arenosi pulvini passim objacent. Ex oppidis tamen quæ hoc litus occupant, memoranda sunt nonnulla, inprimis vero *VVainfleet*, vel hoc nomine, quod *Guilielmum VVainfleet* *Wintoniensem* Episcopum Collegii *Magdalenensis Oxoniæ* fundatorem, de literis virum optime meritum produxerit. Deinde *Alford*, quod mercatum debet *Leoni Domino VVelles*, qui hoc jus ab *Henrico Sexto* Rege obtinuit. Familia vero illa de *VVelles* admodum antiqua erat & illustis; ultimus autem *Regis Edwardi Quarti* filiam uxorem habuit, & *Vicecomes VVellensis* ab *Henrico Septimo* creatus sine prole obiit. Hæditas vero per sceminas *VVilloughbois*, *Dimockis*, *Delalaundis*, *Hois*, &c. obvenit. Postea *Louth* frequentatum emporium, cui *Lud* fluviolus nomen impertiit, qui *Cokerington* subluit, caput olim *Baroniæ de Scoteney*. Et inde *Grimshy*, quod *Sabini* nostri, qui quod volunt somniant, à *Grimo* mercatore sic dictum volunt, qui quod *Havelocum* regium *Danorum* puellulum expositum educaverat, fabellis decantatur cum *Havelo* loco illo pupillo, qui in regis coquina primo lixa, & postea *Regis filie* nuptiis ob heroicam fortitudinem honoratus, nescio quæ facinora gessit, illis dignissima qui anilibus fabulis noctem gaudent protrudere.

Wainfleets.

Alford.
Barones
Welles.

Grimshy.
Eulogium.

Vix sexto hinc milliari interius antiquum apparet castrum, quod hodie *Castor*, Saxonice *Þuang-caræp*, & *Tong-caster*, Britannice *Caer Egarry*, utraque in lingua è re nomen habet, à corio scilicet dissecto, quemadmodum *Byrsa* notissima illa arx *Carthaginensium*. Perhibent enim *Annales* nostri, *Hengistum* Saxonem, *Pictis* & *Scotis* devictis, quum amplissimas alibi possessiones accepisset, hoc etiam loco tantum terræ à *Vortigerno* impetrasse, quantum bubulo corio in tenuissimas corrigias (*Þongs* nos vocamus) secto circumdare possit, in quo hoc castrum posuit. Vnde quidam qui *Britanniæ* historiæ Epitomen carmine scripsit, *Virgilianos* versus sic convertit:

Castor.
*Þong-cas-
tor.*

Byrsa.

*Accepitque solum facti de nomine Þongum,
Taurino quantum poterat circumdare tergo.*

Thornton
Colle.ige.

A *Grimesby* retrahit se litus magno flexu, ut *Abum* æstuarium sive *Humber* admittat per *Thornton*,

Barton
upon
Humber.

PPP

ton,